

tantum ad Missarum celebranda solemnia, tibi ac successoribus tuis uti licebit iis tantum, qui subscripti sunt, diebus solemnibus, idest Nativitate Domini, Epifania, Hypapanton, Coenae Domini, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, tribus solemnitatibus sanctae Dei Genitricis ac Virginis Mariae, Natalitii sancti Joannis Baptistae, ac sanctorum Apostolorum, commemoratione Omnium Sanctorum, consecratione Basilicae, & Suffraganeorum Episcoporum, ac Clericorum, & annuo Natalitii tui die, in solemnitate etiam beati Martiris, atque Pontificis Sisti, cujus indumenti honor efficaci actu vivacitate servandus est. Eius ergo te volumus per omnia genium vendicare. Hujus enim indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota igitur mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicum bonis, perverfis contrarium, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiae operibus juxta virtutem constantem insistentem, & insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatens, benevolentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitis sevens, in fruendis virtutibus, auditorum animum demulcens, in iracundia animi sine ira terrens. Hoc est, frater charissime, Pallii accepti dignitas, quam si solite servaveris, quod foris accepisse ostenderit, intus habebis.

Datum Anagninae per manum Joannis sacrae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis, V. Kalend. Maii Indictione XV. anno Dominicae Incarnationis MXCII. Pontificatus vero Domini Urbani Papae II. Anno V. (a)

XV.

Confirmatio bonorum, jurium, & immunitatum omnium Cavenis Monasterii, ac praesertim Privilegii, a Rogerio Salernitano Comite eidem coram Papa nonnullisque Episcopis concessi.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei charissimo ac reverendissimo fratri Petro Coenobii Cavenis Abbati, ejusdemque successoribus canonice promovendis salutem *

CUM universis S. Ecclesiae filiis pro Sedis Apostolicae autoritate ac benevolentia debitores existamus, illis tamen locis atque personis, quae specialius ac familiariter Romanae adherent Ecclesiae, quaeque ampliori religionis gratia eminere noscuntur, propensiori nos convenit charitatis studio imminere. Apostolica ergo memoriae praedecessoris nostri Gregorii VII. institutis tenacius adherentes, Cavenis Coenobium, cui summa religio viget, quod ipse singulariter dilexit, & suae institutionis privilegio communicavit, nos quoque hujus nostri privilegii pagina communimus, & ab omni

(a) Superiori anno Insulam ipsam Corficam Pisanis Civibus Episcopo, & Clericis commissam legitimus sub annuo censu lib. quinquaginta Lucanae monete.

Ex Ughel. Tom. 1. c. 27. Conc. To. xii.

* Coletus addit: & apostolicam benedictionem in perpetuum.

Exordium.

Monasterium Cavenis a Gregorio VII. privilegii muniam.

Quid Gregorius in eodem modum ejus fecerit cum S. R. E. Archidiaconus esset. Bona ab eo ablata per eundem PP. restituta.

Tum dum Abbas,

Mox dum Pontifex.

Mota eidem controversia a Salernitano Archiepiscopo.

Ecclesia ab Urbano dedicata.

& variae Indulgentiae inibi fidelibus concessae.

tam secularis quam Ecclesiasticae personae jugo liberum esse omnino decernimus. Idem namque Apostolicus Pontifex, dum in Romana sancta Ecclesia Archidiaconatus adhuc officio fungeretur, praedictam locum a Gisulfo Salernitano tunc Principe, in cujus manu fuerat, postulavit. Cellas quoque plurimas, quas usque ad id temporis spatium idem princeps in manu propria detinuerat, ab ipso acquirens, eidem sancto loco contulit absolute cum omnibus habitantibus & habitaturis, tam in Cilenti monte ejusque pertinentiis, quam in locis Passiano, Mitiliano, Castro S. Adjutoris, & pertinentiarum earumdem locum cum omnibus angariis & perangariis, & pensionibus solutis, tam ratione fratrum, quam pro quolibet foculari ipsorum locorum, sicut nos in ipso privilegio enucleatius vidimus contineri. Quam donationem nos autoritate apostolica confirmamus. Praeterea Cluniaticum locum illum famosum dirigens, inde se ut Abbatem praefato Monasterio praeponeat, ascivit, quem deinceps cum universis subiectis, seu personis singulariter dilexit, fovit, tuitus est. Mox Pontifex factus, eorum libertatem decreto seu pagina confirmavit. Sic praestante Deo ab omnium viventium jugo liberum usque ad tempora nostra permansit. Nostri autem diebus Alfanus, Salernitanae Ecclesiae Archiepiscopus, confrater noster, ad ejusdem loci subventionem modis capit omnibus anhelare. Nobis itaque disponentibus Basilicam ipsius loci dedicare, ille suae Ecclesiae minui jura clamitabat, cui nos ex abundantia satisfactionem juris obtulimus; ille autem, cum ad postulatam & acceptam actioni terminum pervenisset, actionem aggredi refutavit.

Sic nos, praesentibus fratribus nostris Reverendis, Episcopis Ubaldo Sabinense, Odone Albanense, Bernardo Praenestino, Joanne Tusulanense, Brunone Signino, Raugerio Regitano, Gerardo Trojano, Jo: Baptista Rapellano: & Cardinalibus Ecclesiae nostrae Erumno presbytero ex tit. Quatuor Coronatorum, Gregorio presb. tit. S. Vitalis, Benedicto resb. tit. S. Susanna, Gregorio ex Diaconia S. Mariae in Schola Graeca, Petro ex diaconia in S. Adriano, Jacobo ex Diaconia S. Eustachii, & Teutione ex Diaconia S. Gregorii ad velum aureum, Diaconibus: astante, etiam dilectis filio nostro Duce Rogerio cum innumera clericorum & laicorum turba, praestante Domino nostro Jesu Christo, cujus vices licet immeriti gerimus in Terris, ad honorem summae & individuae Trinitatis manibus nostris propriis in eodem loco, qui Mitiliani, Cava vulgariter nuncupatur, Basilicam dedicavimus die nonarum Septembris, indulgentes eidem Monasterio contemplatione cujusdam praerogativae specialis charitatis, quam experti fuimus in eodem Coenobio, immo potius perfectam religionis observantiam, dum adhuc essemus in minoribus ordinibus constituti, ut quicumque in statu poenitentiae Domino opitulante fuerit positus, & ad dictum locum accedens fuerit ibi ipso die ante ipsius Basilicae consecrationem, & per totum diem sequentem, nec non in die Jovis sancti, atque per totum diem Veneris S. sequentem, de omnibus peccatis, de quibus vere contritus fuerit & confessus, illam indulgentiam, & veniam a Domino consequatur, quam meretur in eundo & redeundo ad S. Jacobum Compo-

postellanum; reliquis vero temporibus, & diebus singulis causa devotionis illuc accedentes, quatuor annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam suorum peccatorum obtineant de Sedis apostolicae gratia speciali: qui vero ad Capellam tuam sitam in eodem Monasterio, ac eodem die consecratam per vener. Fratrem nostrum praedictum Bennonem Signinum Episcopum, in diebus & festivitibus supra scriptis, septem annos & totidem quarantenas de indulgentia pro peccatis confessis a Domino consequatur: accedentes similiter ad Ecclesiam constructam in Casali eidem Monasterio adjacenti, & eminenti, dedicatam ipso die per dictum venerab. fratrem nostrum Raugerium Episcopum Regitanum, in diebus & festis praedictis, nec non & in omnibus festivitibus Virginis gloriosae, ad cujus vocabulum constructa est Ecclesia memorata, septem annos, & quarantenas totidem de indulgentia a Domino promerentur;

Concedentes & edicto perpetuo confirmantes, ut tam tu, quam successor tui per terras tui Monasterii habitas & habendas, libere possis Ecclesias construere, cum cruce signare, aliaque pontificalia, & spiritualia exercere: sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & altarium consecratione, & chrismatis consecratione tibi tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate; Decernentes, ut tam ipsius Coenobii caput, quam Ecclesiae, quas nunc habet, vel quas ex nunc in antea habebit, five plebanae fuerint, vel rurales, in civitate & dioecesi tantummodo Salernitana, servata ab omni jure & jurisdictione Archiepiscopali sint exemptae, de plenitudine potestatis, & gratia speciali: itaut in nullo jure, seu foro contentioso tu vel tui successores, fratres ipsius Monasterii, clerici seculares in praefata civitate & Dioecesi, per Salernitanum Praefulem aut Capitulum aliquatenus constringantur: quin immo Ecclesiae cum omnibus suis juribus & pertinentiis pleno jure ipso Monasterio sint subiectae. Si vero aliquis de tuis Monachis, seu clericis secularibus, in Ecclesiae civitatis praefatae & dioecesi commorantes ad sacros eligens Ordines promoveri, liceat tibi tuisque successoribus, quemcumque malueris Episcopum convocare, dummodo Catholicus fuerit; sed in aliis Dioecesanorum, requisito dumtaxat primitus Diocesano, de quibus Ecclesiis in jam dicta auctoritate & Dioecesi nihil diocesanus exigere praesumat; immo potius tam Monach, isti clerici defuerint, quam ipsi clerici, absque quorumlibet contradictione totum officium sacerdotale, quod animarum curam exigit & requirit, exerceant, dummodo sint idonei talia exercere.

De his autem, quae a Catholicis Christianis eidem Monasterio tam inter vivos, quam in ultima voluntate donata fuerint, vel legata a quocumque, vel ubicumque, nulli Episcoporum, Dioecesanorum ei licitum sit quartam vel tertiam partem in ipsis legatis, seu donatis, tam in stabilibus quam in mobilibus, exigere praetextu consuetudinis cujuscumque, & si processu temporis per quocumque contra tenorem hujusmodi nostrae concessionis fuerit per aliquos attentatum, illud ex nunc decernimus viribus vacuatum, & praescriptione in hoc longi temporis non currente. Si quis vero ad eundem locum vel ejus Ecclesias sibi sepulturam elegerit, licet

Abbatem conceditur usus Pontificalium in Ecclesiis Monasterii propriis.

Quae ab omni Salernitano Archiepiscopo libera declaratur.

Cujus tamen requirendus consensus, si Monachi, vel Clerici Ecclesiae Monast. a non Diocesano Episcopo velint ordinari.

Episcopus pro Legatis favore Monast. factis tertiam, vel quartam partem requirere nullatenus possit.

Liberum cuique in Ecclesiis Monast. sepulturam sibi eligere.

tum sit tibi tuisque successoribus, & fratribus in Ecclesiis ipsius Coenobii commorantibus, ipsum in suo Cemeterio sepelire absque cuiuslibet contradictione, dummodo Christianus & Catholicus habeatur. Statuimus insuper perpetuo valituro, ut quoties in vassallos ejusdem Monasterii orta fuerit questio, quae ipsum contingat Coenobium, liceat tibi tuisque successoribus & patribus ipsius, querelas hujusmodi decidere justitia mediante, jure communi super hoc edicto in aliquo non obstante.

Insuper memoratus excellentissimus Dux, visa hujusmodi dedicationis solemnitate, compunctus, ut credimus, divino Spiritu, nobis & nostro Apostolatu attentius supplicavit, ut donationem, & confirmationem, quam ipse eidem Monasterio facere ob reverentiam sanctae & individuae Trinitatis, & suorum peccatorum remedium, intendebat, dignaremur auctoritate apostolica confirmare, nostroque mandare inferi privilegio diligenter. Nos igitur, suis in hac parte precibus justissimis inclinati in favorem ipsius loci, quem speciali prosequimur dilectione pariter & devotione, concessionem, & donationem ipsius in nostro praesenti privilegio inferi fecimus ad cautelam.

Concessit siquidem praedictus Dux eidem Monasterio in perpetuum, ut Patres dicti Monasterii absque qualibet contrarietate haereditum & successorum suorum possint exigere & recipere integram decimam partem piscium, qui capti fuerint in mari a Vallone, qui dicitur de Galloca*, usque ad fluvium de Cetera, qui est de territorio ipsius Monasterii, per quinque milia passuum intra mare. Praedictum Monasterium vero mercimonia sua absque omni datione solutione seu exitura libere vendat, nedum in suis litoribus vel portibus; immo per totum suum Ducatum tam ipsum Coenobium, quam ementes ejus mercimonia liberos constituit perpetuo a qualibet prestatione. Indulxit etiam, ut omnes homines, quos dictum Coenobium habet & habebit in praefatis locis, Mitiliano, Passiano, Villula adjacenti Castro S. Adjutoris, in Cilenti monte, & pertinentiis eorumdem locorum, tam clerici quam laici, semper sint liberi ab omni exactioe pecuniae, vel rerum quarumlibet aliarum, quas pro aliqua opportunitate vel causa ipsi, seu haeredes vel successores aliquando duxerint a suis hominibus faciendas: & ut de ipsis hominibus liberam curiam, & fori facturas omnes sine ullo bajulo suo vel ministro habeatis, & in Curia ipsius Monasterii per ejus commissum veniant ad justitiam faciendam, & a iudicibus, quos eis statueritis, debeat rationaliter judicari, & notarios publicos statuendi liberam vobis tribuit facultatem, tam in causis civilibus, quam criminalibus omnibus praeter illis causis, de quibus condemnatus legitime debet mori; de aliis autem criminibus omnibus, de quibus poenam aliam absque morte subire debebant, quicquid volueritis, faciatis similiter, & de duellis, si in ipsis causis intervenerint: appellationes vero, si ipsi vestris hominibus fuerint oportuna, ad vestram curiam appelletur; quoniam quicquid in praedictis hominibus locorum ipsorum, & in pertinentiis, in quo morantur, posset ipse Dux & ejus successores exigere, statuere, & ordinare, statuendi, ordinandi, & exigendi vobis perpetuo

De libris co. quoscend.

Privilegium Rogerii Ducis Monasterio Cavenis.

Decime P. scationis.

* Galloca. Galloca. ta.

Mercimoniarum contra. abique datio.

De causis judicandis.

De Ministrom Curiae electione.

De Appellationibus.

Facultas liberandi condempnatos etiam capite.

Si quid ad Monasterium pertinet vendi aut emi conegerit, invalidatur.

Oblationes in posterum. Monast. faciendae roborantur cum omni exemptione.

Bona obeuntium ab intestato Monasterio applicata.

Ad eum quod Curiam spectat iudicium de bonis sibi pertinentibus, per quemcumque hominum in vasis.

tuo tribuit potestatem. Concessit etiam vobis in perpetuum, ut in quacumque parte sui Ducatus tu vel successores tui personaliter fueritis, & unus vel plures homines ibi fuerint ad mortem, vel ad quodlibet supplicium iudicati, possitis eos, sicut volueritis, liberare; & ubicumque per suum Ducatum transitum feceritis, obvioque habueritis in vestro transitu condemnatos, qui ad suspendium, vel ad decollationis supplicium deportentur, valeatis eos, si vobis placuerit, facere liberare.

Si vero homines vassalli ipsius Monasterii vendunt, offerunt, donant, & modis aliis alienant terras, quas ab eodem Monasterio tenent, afferantque eorum consuetudines esse, ut id possint facere; sancivit, & firmiter inhibuit predictus Dux, ut omnes terras, quas ipsi homines ab eodem Cœnobio tenent, & quæ alienantur ab ipso ipsius requiritone, dummodo evidenter appareat, quod ipsius Monasterii sint, liceat vobis eas capere, & ad dominium eiusdem Cœnobii revocare, consuetudine aliqua non obstante, nisi forsitan qui terras ipsas habuerint, prescriptionibus legitimis, vel aliis rationibus inde valeant tueri.

Largitus est quoque jam dictus Dux, ut si quis ex suis Comitibus, Baronibus, Militibus, Catholicis hominibus totius sui Ducatus, de eo, quod ab ipso in feudum tenent, voluerint in partem vel in totum dicto Monasterio offerre, vel alienare, potestatem illud habeant faciendi qualiter voluerint; dictumque Monasterium bona ipsa ad ipsum taliter devoluta, sine omni sui hæredumque & successorum suorum licentia, recipere valeat, & in suo dominio retinere, & a quolibet servitio vel præstatione feudum ipsum, vel pars ipsius deinceps sit immune. Si vero aliquis tam de vassallis ipsius Monasterii, quam de aliis, tenens de bonis suis stabilibus, vel mobilibus, sine hærede legitimo & naturali decesserit, vel satisfactum fuerit, per quod ipsa ad manus Reipublice de jure possent applicari, licitum sit vobis, per vos eadem bona ad vestrum dominium revocare: omni sui, hæredum, suorumque successorum officialium contradictione remota, nulla super bonis ipsius potestate sibi vel Reipublice reservata; Tenentes nihilominus bona ipsius Monasterii, concessit, vos posse ad vestram curiam vocare, ad docendum qualiter bona ipsa tenent; nisi rationabiliter docuerint bona eadem ad se spectare, vel se præscriptione legitima, videlicet centenaria, ostenderint se munitos, bona ipsa valeatis taliter occupata ad dominium ipsius Monasterii autoritate hujus indulgentie revocare; jure communi super hunc articulum, penitus revocato.

Concessit insuper vobis in perpetuum, ut si tua, successorum, & patrum ipsius Monasterii manifesta culpa non intervenerit contra eundem Ducem, hæredes, & successores suos; & præfate sue concessionis futuris temporibus propter quamlibet causam fuerint in totum vel in partem oblivioni tradite vel omisse, & præscriptio longissimi temporis intervenerit, contra ipsas, per quas dici possit, concessionem ipsas locum ulterius non habere; præscriptio ipsa, per suum sacramentum nobis præsentibus præstitum, & per hanc suam sanctionem constituit, ut prorsus irrita reputetur; quandoque ipsius, hæredes, & succes-

fores suos super hoc duxeritis postulandos, dedit & reliquit eis omnibus sub Divinae nostræque benedictionis obtemperum firmiter in mandatis, ut ipsas omnes concessionem & exemptiones per eorum vobis privilegia debeant confirmare sine omni pretio, & tædio tarditatis, & nullis ipsorum eas præsumat infringere vel mutare, sed illas illas servare debeant, & tenere, donec vos in suum hæredum, & successorum suorum fidei sincera fueritis permanentes. Quas concessionem, confirmationem, exemptionem, & indulgentiam collatas eidem Monasterio per ipsum dilectissimum filium Ducem Rogerium ratificamus, approbamus, & ex certa scientia confirmamus auctoritate apostolica, & plenitudine potestatis.

Decernentes, & edicto perpetuo roborantes, ut quicumque dictum Monasterium in suis juribus, possessionibus, ac libertatibus læserit, aut etiam perturbaverit, liceat tibi, successoribus tuis, & patribus ipsius Monasterii, cujuscumque præminentie sive status fuerint, auctoritate præsentis nostri privilegii præcedente, canonice monitione præmissa excommunicare, & excommunicatos fore denuntiare, a qua absolvi non possint, nisi digne satisfecerint, privilegio eis collato vel concedendo, quod excommunicari vel interdicti non possint, aliquatenus non obstante, nisi de indulto hujusmodi plenam & expressam fecerint mentionem. Si quis autem contra hanc nostri Decreti auctoritatem venire attentaverit, salva Sedis Apostolicæ, & Legatorum ejus recurrentia & dignitate, sciat, se B. Petri Apostoli gratiam amissurum, & indignatione apostolica feriendum. Obedientes vero, & hujusmodi privilegii scripta servantes, dignam a Deo accipiant retributionem, & benedictionem apostolicam consequantur. Amen.

- EGO URBANUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus
- Ego Ubaldo Sabiniensis Episcopus.
- Ego Oddo Albanensis Episcopus.
- Ego Bernardus Prænestinus Episcopus.
- Ego Bruno Signinensis Episcopus.
- Ego Rangerius Regitanus Episcopus.
- Ego Gerardus Trojanus Episcopus.
- Ego Joannes Tusculanus Episcopus.
- Joannes Rapollanus Episcopus.
- Ego Hermanus presbyter Cardinalis.
- Ego Gregorius presbyter Card.
- Ego Benedictus presbyter Cardinalis.

Datum Salerni per manus Joannis S.R. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, XVIII. Kalendas Octobris, XV. Indictione, anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Pontificatus D. Urbani Papæ II. anno V.

Hæc omnia privilegia ab Urbano PP. confirmantur.

Facultas Abbatibus excommunicare eos qui molestiam ullam Monasterio intulerint.

Anathema contra violatores Privilegii huius.

Subscriptions.

Dat. die 16. Septembris. anno Domini 1092. Pontificatus anno V.

Con-

XVI.

Constitutio ad Rainaldum Archiepiscopum Remensem, & Suffraganeos ejus contra Polygamos, eorumque, qui foeminarum rite promiscua habent connubia.

Ex Labbe T. 2. pag. 453.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus Confratribus & Coepiscopis, Rainaldo Remensi, & Suffraganeis ejus, salutem & apostolicam benedictionem.

SI sacerdotale, quod geritis, officium consideratione debita pensaveritis, tanti facinoris infamia ad aures nostras saltem impunita non pervenisset.

Quid sit nunci Episcopi proprium?

§.1. Cum enim, domui Israel speculatores a Deo dati, impiis impietates suas annunciare, & pro domo Israel murum opponere deberetis, quilibet ratione vos pati potuisset miramur, ut tam inelyti regni Rex, humani pudoris, divini timoris immemor contra jus, contra fas, contra legem & Canonum sanctiones, contra totius catholice Ecclesiæ consuetudines, & suam uxorem inordinate relinqueret, & propinqui sui conjugem amorem sibi nefario copularet. Quod factum utique & Regni totius confusionem, & Ecclesiæ vestrarum dissolutionem portendit, & ad animam vestram redundat infamia. Peccanti enim, cum impedire possis, non contradicere, consentire est.

Polygamis benedictio non danda.

§.2. Te autem, carissime confrater Rainalde, noxa hæc maxime impetit pro eo, quod Sylvanestensis subjectus tibi Episcopus hoc publici adulterii crimen suo, ut audivimus, firmavit assensu, cum machis illis benedictionis Sacerdotalis manum imposuit. Quod etsi licite nuberent, bigamis tamen impendi secundum Canones non liceret.

Hortatur Episcopos, ut polygamiam Regem desisterent compellant.

§.3. Nunc igitur vobis apostolica præcipimus auctoritate, ut his visis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis jam dudum fecisse vestra prudentia debuisset, mature convenire curetis Regem, & ex Dei, & nostra pariter, & vestra parte instanti commoneatis, arguatis, obsecratis, increpetis, & a tanto tamque horrendo facinore desistere compellatis.

§.4. Quod si contempserit; & nobis & vobis necessitas imminet, ut ad ulciscendas divinae legis injurias pro nostri officii debito accingamur, & Phines gladio Madianitas adulteras perforemus.

Et pro ereptione Carnotensis Episcopi instantiam adhibeant.

§.5. Eandem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis Episcopi adhibete.

Excommunicationi subicitur Castellæ, & terram ejus, qui eum retinuerit.

§.6. Quod si monitis vestris, qui eum coepit, obtemperare contempserit, vos & ipsum excommunicationi subicite & Castellæ, in quibuscumque eum retinuerit, & terris ejus divinum Officium interdicite; ne similia deinceps in viris hujus Ordinis præsumantur.

Dat. die 26. Octobris anno Domini 1092. Pontificatus anno V.

§.7. Ut Ordinem vestrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis satagetis. Valete. Data VI. Kalendas Novembris, anno videlicet Dei Christi MXCII.

XVI.

XVII.

Siracusana Ecclesia, a Rogerio Comite ejectis Agarenis restituta, bonisque aucta, confirmatur, indicta poena excommunicationis contra eam quomodolibet perturbantes.

Ex auhog. in Tabulario Ecclesiæ hujus editi Roccus Pterus Sicil. Sac. Tom. I.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto fratri Rogerio, Siracusana Civitatis Episcopo, ejusque successoribus canonice promovendis in Episcopatu.

Saracenorum in Sicilia contra Christianos persecutio.

Rogerius Comes Insulam liberat.

Et Siracusana Ecclesia restituitur eligens in ea Episcopum.

Confirmatur ab Urbano PP.

Sicut & ejus bona omnia.

UNIVERSIS fere per orbem Christianorum populis notum esse credimus. Siciliæ Insulam, multis quondam & nobilibus illustratam Ecclesiis, opibusque & populo copiosam, multorumque religione effuluisse virorum, & quorundam sanctissimarum Martyrum & Virginum claruisse martyrio. Verum, peccatis exigentibus, tanta species rerum, tantaque probitas morum ad nihilum subito redacta est; eversa etenim Saracenorum gens præfata Insulam ingressa, quocumque ibi Christianæ fidei cultores reperit, alios gladio peremit, quosdam exilio deputavit, plures miserabili servitute oppressit, sicque Christiana Religio per CCC. fere annos a Dei sui cultura cessavit. Dominator autem rerum omnium Deus, cujus sapientia & fortitudo, quando vult, Regnum transfert, & mutat tempora, quemadmodum ex Occidentis partibus militem Rogerium, scilicet virum & consilio optimum, & bello strenuissimum, ad eandem Insulam transtulit, qui multo labore, frequentibus præliis, & crebris suoribus militum, & sanguinis effusione, regionem prædictam a servitute gentium opitulante Domino liberavit. Siracusanam itaque Ecclesiam novissime restaurans, venerabilium filium nostrum Rogerium Traginensis Ecclesiæ Decanum consilio Episcoporum illius Provincie Pontificem Siracusanae elegit Ecclesiæ, nostrisque obtulit manibus consecrandum. Illius igitur pie devotionis affectum Sacerdotali studio profectentes, ejusque justis petitionibus annuentes, Siracusanam Ecclesiam, cui Deo auctore, Rogeri frater in Christo venerabilis, præfides, tibi tuisque successoribus regendam, disponendam, & largiente Domino, propagandam præsentis privilegii auctoritate concedimus & confirmamus. Quocumque igitur a prædicto filio nostro Rogerio Comite eidem Ecclesiæ concessa sunt, infra hos terminos adjacentia: a castro videlicet Limpiados usque ad flumen Salsum, ubi in mare defluit, sicut ostendit supra intra divisiones castri Joannis Anaor, indeque tendens ad Mauraneum ascendit ad flumen de Calthæfar, & vadit inde ad pontem ferreum, tendens Heutbachayn, quod vadit in flumen de Paternione Natenius; & sic hoc flumen currit Visam cadens in mare, inde per maritimam usque Siracusam, Siracusa usque ad castrum Limpiados, quod est Calthæfar, ubi cepit hæc divisio: infra quas divisiones Siracusa est cum omnibus pertinentiis suis Lentina, Nota, Pantegra, Cassibula, Bizinias, Effina, Calthæfar, Lespexa, Isbarbia, Modica, Sclicla, Anaor, Ragusa, Butera, cum omnibus eorum pertinentiis, & alia Castella, & Casalia, quæ infra prædictos terminos edificata sunt vel edificabuntur: Et quicquid deinceps eidem Ecclesiæ juste a quocumque concessum fuerit, firma.